

V. 1^a F.

(cat. 4, 10-33^b)

4
LIPSI A,

LITERARUM INDULGENTISS. PATRONA SUSCITATRIX INGENIORUM AMPL.
QVUM EXACTO SECULO III. ACADEMIA

NATALEM IV. PRID. NON. DEC. A. R. S. MDCCIX.
CELEBRARET,

INQVE LÆTITIÆ PUBLICÆ SIGNIFICATIONEM

CLARISSIMO, ERUDITISSIMOQVE
VIRO,

1709
JO. ERNESTO
TROMLERO,
SCHOLÆ SNEEBERG.
MAGISTRO,

INGENII OMNISQVE ELEGANTIORIS DOCTRINÆ
PALMAM LARGIRETUR,

HOC LAUDUM SUARUM PRAECONIO
JURE MERITOQVE MACTATUR,

AB
URBANO GODOFR. SIBERO,
ECCL. SNEEB. ARCHID.

Impresit HENRICUS FULDA.
4
4.14

SI Lipsiam, Libonothriæ caput et ornamentum, felicitudine conditam et ab ipso Numine in publicam omnem, quæ patet, Germaniæ utilitatem constitutam dixerò, haudquæquam me erratum spero: confido potius, me multo rectius tam splendide civitatis origines ad divinitatem esse relaturum, quam Cives Thebani suorum moenium Structuram Apollini olim tribuerunt. Quod si enim, vetustis eadem, nec tamen fide carentibus tabulis insitendum, quæ Bonifacium Francorum Apostolum ad Sorabos accessisse, interque Plisæ et Eliftræ confluentes facellum simplicitati suæ conveniens extruxisse tradunt, ad quod sensim Religionis amore convenerint homines, feritatemque pristinam dediscentes manserint: quis quæso dubitet, sanctum sacerdotem coelestis missum, divino jussu, augustisque verbis hoc solum æternæ Felicitati consecrasse. At, quum illa coelestis ortus arcana profana manu retegenda non sint, id unum asserere liceat, hanc ipsam amplissimam divini humanique Juris, omnisque præterea elegantia & divitiarum sedem, auspiciatissimo Nomine, non coeco casu aut ludibrio hominum, sed numinis jussu, LIPSIAM esse appellatam: cujus quidem nominis ratio, quum Erasino Stellæ perquam fuerit grata, nec tamen origo explicata, ego libenter pandam, statuendo, non tam bene illam ex Soraborum, quam ex Græcorum fontibus accersiri, quandoquidem felicissima Urbis fata pridem ostenderunt, hanc ipsam esse, quæ omnia in se bona comprehendat, eque universo orbe recipiat, regique prorsus & coelesti liberalitate permittat, ut omnes, quæquæverint mortales literas et opes a se recipiant, variisque cumulati bonis inde digrediantur. Primam, eamque insignem felicitatem, ab ipso, cui inædificata, solo recipit, cujus tam mira fecunditas, ut licet Niliaci fundi ubertatem, aut fertiles Babylonæ campos non æquet, attamen proxime accedat, hancque Misniæ partem Campaniæ nomine dignissimam reddat. Dum vero istam coeli solive liberalitatem egregias inter naturæ dotes numerat, atque immensa inde percipit commoda, nescio tamen, quæ benignitate Numinis contigerit, ut non e suo tantum finitimisque agris, sed remotioribus etiam ac longius disitis provinciis et regnis, eadem sponte oblata recipiat, inque suo sinu recondat, e quo justo rerum pretio interindigenas advenasque distribuatur. Vicina igitur primum oppida, ad hujus vel Veneris vel Minervæ ortum gaudio pariter, et admiratione commotæ accesserunt, et quicquid ad exornandum facere poterat, contulere, sponte se exuendo, ut hanc pulcherrimam Misniæ sobolem suis opibus circumvestirent. Imo invenias, quæ calamitatibus everita, aut flammis absorpta, hic vero tandem novam sibi fortunarum sedem exædificatam senserunt, solenni factorum vicissitudine, quum ex everitis Albe ruderibus Roma surgat, et e ruinis Magarensium Athenæ splendidiore reddantur. Sed multum ad stabilienda nominis auspicia contulit Princeps, virtutibus pariter ac opibus nobilitatus, OTTO MARCHIO Misniæ, qui postquam Fribergenium venas argento turgidas primus incidisset, muros inde Lipsiæ dedit, quos nobili spectata origine argenteos sine commento adpellare licet, dignos hercle, qui complecterentur cives, quorum virtutes quovis vel fulgentissimo auro præstantiores erant. His fortunarum incrementis accessit, quod paulo post mercium commutandarum causa et Trôès et Rutuli eo convolarent; quamvis enim Patri Oceano non admodum sit vicina, eoque magis ab inundationibus et tempestatibus tuta, tanto tamen opportunius in ipso continentis terræ centro sita, quo velut ad amplissimum horreum quævis convehi merces, ac facili plane negotio in disitas quasque ter-

ras

ras develi possunt. Quæ cum sigillatim ab aliis exposita sint, nec mei instituti ratio polcat, ut ostendam, quas terrarum orbis divitias in se comprehendat, sed quantum ingenii fuerit aucta; hoc tamen dictu necessarium arbitror, divinam urbem tum demum arcanum Nominis significatum implevisse, et ab eo temporis articulo omnis elegantie susceptricem extitisse, quum Mulas honore suo destitutas, profugas, exules, tam grato sinu complecteretur, ut nulla gens, nullus Germaniae populus citari queat, qui Lipsiam indulgentissimam predicare Matrem erubescat. Habet sane, quod sibi gratuletur Silesia, quorum primarius Civis JOANNESHOFFMANNUS Svidnicensis eruditorum Exulum Dux et antesignanus, non Civitatis tantum, sed ingenii Præfatus Milenenis honore, paulo post Pragensem discessum, donatus fuit, cujus quidem initia Paulus Langius Monachus Bozaviensis nimium conturbavit, dum Engelberti Wulsterwitzii Chronico Marchitico fisis, ea ad Annum salutis Mccccxxvii retulit, quæ multo rectius Georgius Fabricius patrius scriptor et membranarum instructus cum anno Mccccxiii. copulavit. Nec spem de te conceptam fessellit Joannes, siquidem in Concilio Constantiensi multa insignia præstitit, quamvis ob exhaustum ærarium sodalibus sacerdotii, quos Canonicos vocant, paulo gravior videretur. Eandem vero honoris prerogativam, cum Silesis, nostri Civis retulerunt, e quibus VINCENTIUS GRUNERUS Zviccaviensis Pragam primo, inde Lipsiam venit, ac Principem inter Theologos locum obtinuit. JOANNES equidem FRIDERICUS, gente Francus, Historiarum et humaniorum literarum apud Lipsienses Professor, in Panegyrico seculari Grunerum Lipsiensibus adscripti, cui tamen Joannes Tritthemius Abbas Spanhemienis jure adversum tenet, qui ortum et literas et ingenii monumenta in Grunero accurate exhibuit: fidemque ipsi habendam esse, Vincentii Commentarius de officio Misse in sex libros dissectus, manumque exaratus, in scriptis Bibliothecæ Sneebergenfis testatur, quippe qui nomen ejus et Patriam in fronte ostentat: vigetque præterea ad hunc diem hujus nominis apud nos familia, eaque sæculo nuper exacto Academiæ Regiomontanæ Christophorum Grunerum dedit, Theologum gravem et quodammodo severum, qui postquam litium componendarum causa a Borussis honesta missione missus esset, tandem Ecclesiæ Islebiensis Præful Cardinalis factus fuit. Nec dubitandum in ceteris eruditorum societatibus, quæ vel scientiam Legum, vel Artis salutaris præcepta tradunt, excellentissimos quosque homines Lipsiam accitos esse, quorum magnam exhibuit copiam JOANNES HEINTZIUS Societatis Medicæ Procancellarius, in erudita, de artis Medicæ apud Lipsienses, incrementis, Dissertatione, quam sæculi nuper exacti anno XXX. publicavit. Cum his ipsis vero literas elegantiores Lipsiam concessisse plane certum, quanquam in illa Academiæ adolescentia, obque recentem exilii memoriam, Iliaco fere habitu incederent, quemadmodum ex scriptis, sæculo XVI. inchoante editis videre licet. Extrat nempe VIRGILII VVELLENDORFFERI Salisburgenfis Heptalogium, in quo vir alias bonus, omnem disciplinarum orbem a se probe perceptum, sed, quod doleas, ornamentis elegantioris linguæ sese delitutum ostendit, quæ hoc nostro ævo maximam eruditam gratiam conciliant. Nec meliorem apparatus sanctioris doctrinæ doctores instructi erant, qui, licet amplissimum, doctrinæ a patribus et scholasticis traditæ, campum emensis essent, tricas tamen et spinas innumeras secum trahabant, ut putares, ex Cornificii, quem Sarisberienfis justissime exagitavit, schola progressos esse. Cuius autem id constabit ex illa tantopere celebrata Oratione Inaugurali, quam Conradus VVimpina de Fagis Anno salutis MDIII. audiente Raymundo

Pay.

Payrando Cardinale Gurzeno in amplissimo omnium ordinum confessu genu flexus habuit, in qua certe capacissimum ingenium, sed illud a nostri seculi positura, et castigata loquendi ratione haud parum alienum ostendit. Quae, quum ita sint, nemo velini existimet, Lipsiam ab uno, soloque PETRO MOSELLANO literarum cultum et elegantiam accepisse, quippe quae inchoante Saeculo XVI jam iam ingenia quaedam exornaverant, quibus vel inanium species, vel publica saltem alios ad eundem nitorem pertrahendi auctoritas deesset. Quam laudem mereri videtur STEPHANUS GERHARDUS, Regionomantus, Lipsiensis Academiae locus, qui Fridericum Saxonem Teutonici Ordinis Magistrum oratione Panegyrica laudavit, illa sane quibusdam saelebris respecta, sed maximam partem ad puritatem vergente: ut celesiam, humanitatis studia tum temporis cum barbarie velut conflixisse, victoriaeque ad suas partes deflectentis haud dubia signa edidisse. Huic GERHARDO gratulatus est GREGORIUS BREDEKOPH DE KONITZ, Borussiae, Vates haudquaquam contemnendus, et carmine Sapphico in primis nobilitatus: id quod laudatione Divi Joannis Baptiste, tum, quorundam Academiae Procerum, praecipue MARTINI FURMANNI DE CONITZ Doctoris Theologi et Professoris declaravit, cujus vitam, itinera, egregiasque virtutes, eleganter admodum complexus est, multoque longius ad ipsa cultoris doctrinae penetralia abiturus erat, nisi inter Aristotelis spumata, quae tum nescio qua deliciarum expectatione, tanquam Hesperidum horti colebantur, diutius ipsi commorandum fuisset. Jungendum huic arbitror MAGNUM MAGDEBURGENSEM, eodem tempore Magistrum Artium, et Theologiae primis honoribus initiatum, ex HUNDIORUM stemmate oriundum, quod cognomentum illius, quum in Oratione VVIMPINIANA non legatur, Georgius Fabricius suppeditavit, addita simul in obitum ejus, COMEANDRI Elegia, quae HUNDIUM, magna Palladis arte doctum, pronuntiavit. His autem multo superior extitit HIERONYMUS EMSE-RUS, Sycvus, ad omnes prope honorum gradus in Sapientiae pariter, atque Theologiae spatii erectus: qui quantum eloquentia valuerit, ea testantur ingenii monumenta, quae ante infelicissimam, maloque consilio susceptam Lutheri oppugnationem edidit, quibus quidem eruditionis praestantia iuxta aequissimam Seckendorffii censuram, eripi non potest; Sed contaminavit istam laudem, arrogantissima aequae ac stolidissima veritatis invasione, superstitionum inanium defensione, Principisque GEORGII irritatione, cujus animum sine hoc, aliisque incentoribus, aequiorem futurum, et suis, et Pontificis Ro. cavillationibus calumniisque ad pertinaciam internecinam deduxisse credendus est. Quod si vero his ipsis ad Lucem enitentibus quidam immixti essent, quibus vetera et horrida ex longa fortassis consuetudine placerent, qualis erat KILLIANUS SALENSIS, Artium Baccalaureus, atque is non admodum comtus et elegans, hi tamen literarum aliunde allatarum nitore, dulcedineque adeo sensim deliniebantur, ut quavis antiqua dediscere nollent, nova tamen ornamenta Juventuti commendarent: quod ipse KILLIANUS praestitit, qui Philippi Beroaldi, hominis tum apud Italos ob literas resitutas celeberrimi, libellos exscribi fecit, eosque illustri fratri Truchsessiorum pari dedicatos, ad aliorum noticiam deduxit. Nec alienum a vero, in signes istas molitiones Georgii Ducis quibus Academia Lipsiensem sartam Pontifici, tectamque cupiebat, multum obstitisse, quo minus elegantiores literae agmine facto restituerentur: id quod ex eventu cognitum fuit, quum proffigata Pontificis auctoritate, prostratoque Scholasticorum Doctorum aggere, divina pariter et humana doctrina decentius exornata, in lede regia collocaretur. Utinam vero istud scripturae genus permitteret omnes enarrari eos, quos Lipsia benignissima mater liberalissima manu,

manu ad se deduxit, omniqve gentium ac populorum sublato discrimine in sua tecta recepit: verum, quum metas egredi nolim, illud votorum summum concipere liceat, ut ex amplissimo omnis eruditionis theatro fergat aliquando, qui CÆSARIS EGASSII BULÆI, vel JO, LAUNOJI exemplo invitatus Historiam plenam Academicam Lipsiensis pandat, quamqve innumera turba, omnis doctrinæ alimenta penes eam perceperit, suffecturis commentariis explicet: tum enim omnibus ac singulis constiturum puto, trecentos intra annos, multo plures multoqve præstantiores inde prodissse Viros, quam quos Parisiensis Schola magnis voluminibus posteritati tradidit, quorum plurimi difficillimis nugis homines sefellerrunt, tenebras perniciolosissimas in orbem invexerunt, ipsasqve divinas, cum humanioribus, literas contumularunt, quum nostra Lipsia innumeros fistere queat, quorum quisqve vel sacri Codicis, vel Legum, vel Naturæ, vel Artium recessus felicissime detexit. Quibus quum abundaret bonis, apertis oisibus, suos inde et copiosissimos alio derivari rivis libentissime concessit, et Amaltheam imitata, per univrrsum orbem opes distribuit: non dicam de Nundinis, quæ celebratissimos quosqve Græciæ conventus superant, quæqve Oceani instar omnium desiderijs suppetunt, sed de divitijs Sapientiæ, quæ omnia cæli, solive munera longissime excedunt. Quod si quæ olim extitit civitas, unde boni moris exempla, sanctitatemqve disciplinæ, mortales peritum irent, quo nomine Sparta vel Athenæ celebrantur: ea sane insigni sapientiæ augmento addito, Lipsiam translata existimari debet, consentientibus in id suffragijs hominum, hujus civitatis mores ad gravitatem sanctitate ornatam, et elegantiam fraudis expertem juxta compositos, et imitatione et amulatione illa dignos, quæ, nostra tempestate, illustrioris Orbis Arctoi semina Lipsiam tanquam ad regiam Salomonis accessere, inditæqve asperitatis pertaxa, novas Artes, quibus animi et corporis habitum exornarent, inde deduxerunt. At enim vero Lipsiam esse, e qua vicinæ gentes bonas acceperint literas, reliquæ paulo post, vel aliquanto ferius condita Academicæ confirmare possunt. Laudabilis sane, atqve ob literarum florem percelebrata Rostochiensium Schola, natales suos Lipsiensibus debet, asserente Chytræo, illam ex Erfordiensis et Lipsiensis instar Colonia esse procreatam. Neqve illustrior altera, deqve universo terrarum orbe tantopere merita VViteberga distitabitur, Lipsiam haud parum ad incrementa sua contulisse: quanquam non inepte statuat, istam Hierosolyman in cælis conditam, atqve inde ad nos dimissam esse, quippe in qua divinæ veritatis lumen postliminio accensum fuit. Nempe, posteaquam FRIDERICUS III, Saxonix Dux et Elector, gravissimis Maximiliani Imperatoris Augusti consilijs, et svasibus RAYMUNDI PAYRANDI Cardinalis, Legatiquæ Pontificij, obtemperare, hominumqve eruditorum Societatem erigere statuisset, tum Lipsiensis Academia conatus Principis juvit, asserente Davide Chytræo, nostrarum rerum haud imperito scriptore, addente insuper, initia Academicæ VVitebergenfis CONRADI VVIMPINÆ consilij esse gubernata. Dum vero contendit, plurimos præcipuosq; Vitebergenfium Professores vel Tubinga, vel Lipsia accessitos esse, de eo quidem nos ambiguos fatemur, præsertim quum ex ordine Professorum Lipsiensium, quos Oratio VVimpiniana accurate suppeditat, nemo Vitebergam translatus, neqve illa etiam Philofophia, qualem Lipsia HENRICUS GREVILIUS GOTTINGENSIS tum profitebatur, unquam Vitebergæ legatur recepta, teste PAULO LANGIO Monacho Bozaviensæ, qui de Luthero et Carolo studio sermonem instituens: MARTINUS, ait, ut Luminare majus, ANDREAS, ut luminare minus hujus Academicæ Theologiæ studia et divini verbi triticum absq;

B

omni

omni palearum, hoc est, secularis Philosophiæ, syllogismorumve mixtura purissime tractant, et edocent sacram scripturam: et potissimum Christi Evangelium, et Paulum Apostolum habentes pro Archetypo et fundamento, cum ipso literarum studio timorem Dei et cunctarum virtutum semina, verbo exemplo et calamo in discipulorum pectora spargentes: neque enim in hac almissa sapientiæ Palestra fatuus ille Peripateticorum Princeps Aristoteles, vel impius Porphyrius, aut certe ille blasphemus Averroës, et similes orthodoxæ fidei spectatores, et irrisores, cathedram ullam habent, vel audientiam. Accedit Catalogus Professorum VVitebergenium Annalibus Chytræanis intextus, e quo satis constat, e Lipsiensibus paucos, ex Tubingensibus aliquos, ex Italia unum alterumve, et VVitebergenses translatio majoribus et certioribus documentis firmanda videatur, in eo tamen Chytræo refragari nolum, Academiam Francofordanam multum auxilii inde accepisse: quam benignissimam operam aut celebratam jam jam, aut celebratum iri haudquaquam dubitamus, quum plane certum sit, Conradum VVimpinam aliquoties citatum, prima Academia Viadrinæ gubernacula suscepisse, legesque præterea, et statuta, quibus insisterent Civēs, dedisse, modo non Academiae initia, odio adversus Lutherum et simultatibus in alios, parum religiose prudenterque conceptis, pauloque post publicatis, remere labefactasset. Jam, cessavit quidem illa coloniarum ducendarum promptitudo, quum Academiarum condendarum eadem prope sit difficultas atque Corinthum extruendi, aut adeundi: nec tamen desuit prona voluntas divinas humanasque artes proferendi, unde quæ Germania, quæque terrarum Orbis patet, Lipsia Viros apud se bene præparatos egregieque instructos misit, quorum consilio, voce, quod memorandum, quosdam quasi instantis Reformationis antesignanos, JOANNEM CUNONEM Doctorem Theologum, in superstitionarum peregrinationum, quæ A. X. MCCCCLIV. fraudibus Monachorum suscitatae fuerant, acerrimum censorum, cui JOANNES WUNSCHELBURGIUS gente Silesius, civitate Lipsiensis adhaesit, edito de signis et miraculis falsi libro, quo Præfules adhortabatur, in gregis salutem ut vigilarent: inde A. S. MDVIII. GEORGIUS FRICHENHUSIUS Sodalitatis Dominicanæ Monachus Lipsiensis, Bullas Romani Pontificis, creophagiam per stata Jejunii tempora interdicentes gravibus et solidis argumentis confutavit, quem JOANNES VI. Præsul Misēnensis, e SALHUSANA stirpe procreatus, patrocinio tenuit. Postquam vero Luthero, divinitus ad proturbandas Antichristi machinas excitato, Lipsiæ, quanquam aliquanto serius, celestis veritas recepta esset, tum, magno numero, egressi, qui animos hominum religione, sanctoque Numinis cultu imbuerent: hic Juris et æquitas Antistites initiati, legumque servandarum vinculis confrecti, ad celeberrima fora et tribunalia dimissi sunt: Hæc altera Cui Senis Patria, hæc Pergamus eos tradidit, qui sanitati tuendæ, pellendisquæ morbis idonei, germani Esculapii filii, et successores dicuntur. Longum foret exponere, quæ sanctioris doctrinæ Volumina in usum publicum Lipsiæ condita, publicatae: Tuos appello manes Dive, sanctisque dudum inserte HOFFNERE, qui Servatoris in miseram mortalium gentem merita, Ecclesiæque causam et puritatem, ab aliis tumultuario opere susceptam, masculè defendisti. Tuam HULSEMANNE religionem prædicare fas sit, quæ innumeris quidem civitatem Dei operibus ac munimentis succinxisti, attamen, vel solius Gratia divinx assertionē, alter Augustinus animos hominum conturbatos ad spem et tranquillitatem crexisti. Vestros, immortales CARPZOVII, tuosque

tuosque, sanctissime GEIERE, divinos plane, et excellentissimos labores laudo, quibus, immensis spatiis Hieronymum superando docuistis, quod divina oracula dixerint, ut Delphico natatore, Romanove Apolline opus non sit, ad ea penetrandi. Sed gratum erit, huic seripto, quendam exultationem lucrari, recordatione illustris et eminentis Theologi, JO. FRID. MAYERI, VVitebergenium primo, inde Hammaburgensium, ac tandem Pomeranorum Apostoli, cuius tanta quidem sunt merita, ut mirer, invidiam adversus eorum magnitudinem hincere potuisse. Idemque premium ex tui commemoratione, Reverendissime Præful, atque Polyhistor excellentissime GEORGI HENRICE GOETZI præfolor et expecto, qui postquam Lipsiam natale solum, regiamque Dresdam, et Montes Sudetes, splendore tuo collustrasti, jam Lubecenibus ANSCHARIUM, vel si mavis, omnes quotquot ad oram maris Balchici olim resederunt Præfules, per te vivos spirantesque reddidisti. Nectui obliviscar Vir Reverendissime, et excellentissime, totiusque Saxonie Præful eminentissime, HENRICE PIPPENGE, qui Lipsiæ natus, patriæ, imprimis tuæ, hinc omni Germaniæ, totque insignibus Ecclesiæ Luminaribus et Theologis, ortus tui, divinitus procurati, uberrimos fructus dudum reddidisti, jamque Saxoniam ornas, et Religionem in illa cellissima Regiæ familiæ pectora, verbis, Chrysofomi sva- vitatem, Gregorii Naz. pondera, et Basili Cas. gravitatem superantibus, transfundis, veritatem defendis, disciplinam foves, ac prudentissimi illius SPALATINI, vel mag- gri potius LUTHERI personam tam feliciter sustines, ut quivis existimet, nos nimi- um felices fore, si tui similes, etiamsi summa rerum fuerint admovendi, vel Lipsia, vel VViteberga depromere possimus: unde insigni sane laudi cederet, tuos hoc lo- co vel per compendium virtutes exponere, nisi, quæ summa Tibi debetur, venera- tio flagitaret, ut meditata oratione, et opera quæsiissima posteritati traderentur. Quid- ni vero ad virtutum vestrarum commemorationem abeam, illustres ac reveren- dissimi Patres, ITTIGI, OLEARI, RECHENBERGE, CYPRIANE? qui profunda doctrinæ celestis, lingvarumque sanctarum cognitione omnium, qui in his literis defudarunt, opes complexi, Historiam insuper Ecclesiasticam, alias propemo- dum exulem, aut hospitem certe minus diuturnam reduxistis, eaque monumenta, de quibus exteri fere cum contentu nostri gloriabantur, rem publicam fecistis, tanta hercle felicitate, et copia, ut illi, quorum nos quondam fores pullabamus, ad vos accedant, novasque divitias vestra patefactas opera fateantur. Sed veniam mihi expectendam esse video, tum, quod de tantis Luminibus parcius loquor, tum, quod alios literarum Principes præterire cogor, non schedis, sed justis elaboratis- que voluminibus celebrandos, neque unius hominis, sed omnium applausu gentium condecorandos: quos pro benignitate Lipsiæ Civibus Proceribusque indita concessiros credo, ut in hac specula firmus consistam, SNEEBERGAMQUE meam fecundis olim argenti venis nobilitatam, nunc felicissimam prædicem, quod, si quem habeat literarum et eruditionis et justitiæ, et Religionis splendorem: habet autem quam plurimum in iis, quos veneror, Patribus: eum sese Lipsiensium libera- litati debere fateatur. Illa nempe Sneebergenium Civitati, e suis, ad præsentem fortunam, specubus emergenti, AMBROSIIUM FRANCUM dedit, eruditissimum, gravissimumque Virum, Scholæ primum atque inde rationum metallicarum magis- trum, cuius Juventus in Academia vestra, sumibus primarii Theologi IO. HEL- NIGII ab Haynis sustentata fuit, quem dignus tali viro Encomiastes Georgius Fabri- cius, justis ad celum laudibus evexit. E vestro sinu SNEEBERGA, tot amplissi- mos, postque fata sua laudatissimos Prætores, et Consules depromsit, multique illorum

præcipua iustitiæ, omniqve virtutum laude vigent, velqve venerandam canitiem, vel virilem gravitatem vestris succinctam ornamentis ostentant. Vestre institutioni debemus sanctos ac Venerandos Oratores Sacros, quorum postremum, Reichenbacensibus divina jura dicentem, excellentissimum Virum GEORGIUM RICHTERUM sacra tiara exornastis. In vestris porticibus ante, quam immortalem SCHURTZLEISCHIIUM adiret, eruditus fuit Clarissimus Scholæ nostræ Moderator, IOANNES DOPPERTUS Francofortanus, omnis exquisitoris doctrine promus condus, et ad Camerarii, et Jungermanni, vestrorum laudes et famam, citato gradu properans. Vestra nobis Academia dedit JOAN, ERNESTUM TROMLERUM, Sneebergensem, eruditissimum Virum, ac Poetam, qualem Apollo sibi fingeret, felicissimum, meliore profecto fortuna dignissimum, quippe quem non inferioribus sublellis, sed ampliori, et nobiliori orchestra præparastis, ac sapientia Doctorem publice promulgastis, quemqve nuper admodum summe Rev. Patris ac Præsulis Zyvicav. CHRISTIANI GOTTHELF BLUMBERGII ore, ita laudatum esse recordor: Lipsiam cum hoc Viro amplissimas dotes ad nos transmississe. Macte igitur hæc effusa liberalitate tua, DIVINA LIPSIA, Literarum Indulgentissima Patrona, Sulcitrix Ingeniorum Amplissima, gratisqve auribus et oculis haurias, quod meritum tantorum fulgore occupatus, nomen tuum e dulciliarium umbraculo ad illos Græcorum fontes deduxerim. Vos inprimis, summi et excellentissimi Viri, qui TROMLERUM tanta benignitate fovistis, et fastis acclamationibus profecuti estis, Tuqve BOERNERE, Jll. Majorum, CASPARIS et JOANNIS GEORGII, Nepos, Filique dignissime, Ornamentum Academiæ Lipsiensis amplissimum, recipiatis quælo hæc Vota mea, quæ sub prætextu vestrorum Nominum universæ societati dicata, consecrataqve volo. Benigne DEUS, rerum coelestium, humanarumqve Arbiter sanctissime, tua, quæ terrarum orbem regis sapientia, ACADEMIÆ LIPSIENSI, SANCTÆ CIVITATI, trecentos indulsit annos, atqve innumeris exornavit dotibus, perqve ipsam, disitas pariter et vicinas gentes, immensa felicitatis messe cumulavit. Tua faxit gratia, ut in dulcissimo hujus Civitatis sinu, omnes in posterum coeli soliqve, tum ingenii etiam et doctrine opes corriventur, perqve inenarrabiles annos grata vicissitudine per omnem Germaniam, in laudis lætitiæqve publicæ argumentum deriventur. Tua Clementia fervet sanctissima capita, quorum jam nomina venerabundus citavi: at cum his, eos etiam, qui remis velisqve felicitatem publicam tuendo ad immortalitatem pergunt. Ita namqve fiet, ut licet quintum Academiæ Natalem his oculis visuri non simus, sed exertis coelo capitibus collatururi, posteritas tamen exacto seculo ad publica gaudia concurrat, tuamqve, benignissimum Numen, providentiam laudet, et gratis recordationibus in omne ævum prosequatur.



Yc 6897

2^o

III




5b.

1077

n. l. u





endum, in hoc suo testa-
tres illi Studiosi, vel maio-
LESIA, alter ex LV SATIA
oriundus, secundo sint et-
inter additi, tertio pieta-
tes tum capaces, sed quar-



ribus, vel aliis officiis pro vi-
ri PP. Lips. ipfis Vigilis
CCXXXII.

GENHEMIANA.

LIPSI A,

LITERARUM INDULGENTISS. PATRONA SUSCITATRIX INGENIORUM AMPL.
QVUM EXACTO SECVLO III. ACADEMIA

NATALEM IV. PRID. NON. DEC. A. R. S. MDCCIX.
CELEBRARET,

INQVE LÆTITIÆ PUBLICÆ SIGNIFICATIONEM

CLARISSIMO, ERUDITISSIMOQVE
VIRO,

JO. ERNESTO

TROMLERO,

SCHOLÆ SNEEBERG.

MAGISTRO,

INGENII OMNISQVE ELEGANTIORIS DOCTRINÆ
PALMAM LARGIRETUR,

HOC LAUDUM SUARUM PRAECONIO
JURE MERITOQVE MACTATUR,

AB

URBANO GODOFR. SIBERO,

ECCL. SNEEB. ARCHID.

Impresit HENRICUS FULLDA.